peratione, si saepe sui dignos existimaverit; verùm
etiam summa laude, et plausu maximo prosequen-
dos duxerim; solet enim in rebus valdè absurdis
et quae propter inanes famas nihil habent
solet, inquam, in his tanquam ad palam eloquentia
exercere, eoque facilius in causis verissimis pugna-
re et persuadere, quo saepius in falsissimis et
paradoxis versata absurdissima quaeque et vehe-
mentissimè, et invictè didicit propugnare; si
itaque verum adhuc est, qui verissimis et solidis ar-
gumentis confirmatas musicae laudes sibi pro-
posuerit diminuere quo apertius ostentet quantum
in dicendo valeat non solum non concedo, sed etiam
atque etiam horreo, promittoque ibi meam operam
in compilandis, si quid invenero, argumentis, quae
veritatis aliquid habeant: hoc solum doleo
praetermisisse adversarium nostrum, dicere: exerci-
tationis causa à se eam causam suscepi: quan-
quam oblivioni ipsius non immeritò dabimus tum:
sed nunc redeo ad pietatem cui conciliandae
multum profuisse musicam dixi, quod eo audivisse
rem confirmo, quo inopinatius mihi in mentem redit
quam luculentum et apertissimum testimonium in hanc
rem S. August. exstat: ipsius enim haec verba sunt
Quotiescunque musica insonuit in mente redeant illa
caelestis patriae gaudia, atque oblectamenta, quae
verissima esse ipsi musicae effectus conclamant: quid
enim aliud sunt moles ibi symphoniae concentus,
quam caelestes quaedam aurae, quorum flabellis ventilatur
divini amoris aestus? nam ubi ad aures pervenerant
Angelicae illae lenocinantium chordarum illecebrae
quam mobiliter animo irrepunt praenuncii suavissimi